

illa caussa iuris, quae sub modo acquirendi comprehenditur, tituli nomen acceperit. p)

## §. V.

Ipsa quoque distinctio modi acquirendi in naturalem & ciuilem, prout vulgo ea traditur, in primis ad titulum spectat, qui modo acquirendi inesse intelligitur. Solent enim doctores sic definire, ut dicant modum acquirendi naturalem, qui in iure naturae fundatus est, ciuilem vero, qui solo iure ciuili nititur, & iure naturae plane ignoratur. Ita usucapio est iuris civilis, a) quum naturali ratione fieri non possit, ut usu & possessione res aliena nostra fiat; per traditionem vero iure naturali res nobis acquiruntur. b) Quamuis autem non negemus, recte hac ratione modos acquirendi in naturales & ciuiles distingui, minus recte tamen facere videntur doctores, quod hanc diuisionem simplicem tantum faciant, quum triplex ea potius esse videatur. Praeter illam diuisionem enim, quae

ad

*ergo, ait, si, quum se vellet excusare aliquo titulo, &c. & MARCELLVS in L. 49. D. de donat. inter vir. & vx. Si color, vel titulus, ut sic dixerim, donationi quaesitus est. &c.*

p) Haec omnia quum iam scripta erant, incidebamus forte in IACOBI CVRTII *īuxatōnō* libros, ibique inueniebamus eum eadem fere, qua nos, ratione tituli in iure significationem ex inscriptio-

nibus deduxisse Lib. II. c. 42. in EVERH. OTTONIS thesauro iur. ciu. Tom. V. pag. 481. quod, quamuis nostra inde non desumserimus, nec plane eadem illa sint, ac quae is dixit, tamen indicandum hic esse duximus.

a) Vid. L. 1. L. 3. D. de usurpat. & usucap.

b) Vid. §. 40. I. de rer. dñis.